

co decreto Lutherum proscibit, à quâ promulgatione FRIDE-
RICUS Princeps è nobilitate nonnullis, quorum fidem explo-
ratam habebat, negotium dabat, ut vitandi periculi causâ in lo-
cum secretiorem quendam & ab hominum frequentiam remotio-
rem deducerent. In hac solitudine ac sollicitudine non otio
consenescebat, sed pluribus ad amicos conscriptis literis, libros
nonnullos de abrogandâ Missâ, quâ labe nihil tetrius, vel in cæ-
lum nihil contumeliosius devotis Monasticis, quibus nihil ine-
ptius, juris publici faciebat; Parentemq; suum Johannem Lu-
therum confortans, Augustinianos, ut in agnitâ veritate persti-
terint, adhortabatur. Ita scilicet cum veris Ecclesiæ membris
comparatum est, ut instar palmæ adversitatibus renitantur, at-
que renitendo crescant, florescant, aucescant. Dum enim B.
Lutherus tantis periculis obstrictus hæret, magnarum quoque
tentationum, quæ cum oratione & meditatione veram gignunt
Theologum, non expers vixit. Satanas namq; ejuratus humanæ
salutis hostis, cum regnum suum à Megalandro Luthero maxi-
moperè labefactari cerneret, doluit, & omnes sagittas suas in
hoc electum emisit Organon, dumq; vi externâ ipsum subigere
non potuit, internâ afflictione tandem enecare conclusit. Ve-
rùm D. noster Beatissimus has etiam luctas Spiritu confirmatus
divino ita superavit, ut ex illis disciplinam Diabolicum regnum
destruendi capesseret, aliosq; fratres in tentationum pelago flu-
ctuantes ipse confirmatus confirmaret, quod ipsius literæ con-
solatoriæ fidelissimo munient testimonio. Quid, Auditores
lectissimi, de scriptis reliquis Lutheri vel cedro dignis verborum
proferam, cum totus dies laudis mensuram non capiat. Chem-
niti testimonium vobis hac vice gratificabor, quod ita Tomo
tertio Locorum descriptum tenetur. Quod, inquit Chemniti-
us, Quintilianus de Cicerone dicit; ille sciat se in literis multum
profecisse, cui Cicero plurimum placebit. Idem ego de Lu-
thero libenter usurpo, ille sciat se in Theologiâ multum profecisse
se, cui Lutheri scripta plurimum placebunt, & ad lectionem
horum scriptorum omnibus modis invitanda est Juventus: Ha-
cenus